



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 7. Passio Christi, & S. Spiritus missio, quantum beneficium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

catores. Sint homicidæ, sint parricidæ, sint sacrilegi, sint mille diabolis proprii sanguinis chirographo obstricti, ac mancipati; sit, qui tot flagitijs tantisque solus, quot & quanta à condito orbe, per omnes vel Angelos, vel homines sceleratos, sunt perpetrata, cooperiatur, tamen diuina bonitas maior, charitas grandior, misericordia efficacior est, quia infinita. Quare, sicut scintillam extinguit Oceanus, ita hæc omnia crimina delere potest diuinæ bonitatis, misericordiæ & charitatis, nulla vnquam malitiæ aut magnitudine, aut multitudine, exhauriendus thesaurus. Vt quid ergo vllus est peccator; qui de venia desperet? vt quid adeò vllus mortalium est excors, vt non v-tatur, per pœnitentiam, thesauro tantæ bonitatis, misericordiæ, & charitatis? Planè qui hæc rectè credit, non desperat; & quisquis desperat, non rectè credit.

§. VII.

Passio Christi, & S. Spiritus missio, quantum beneficium?

Spei fiduciaque huic addit ingens incitamentum S. Spiritus missio, tot secum dona è cœlo trahens. Magnum quid esset, si is in Dei Matrem, si in Apostolos, si in simplices,

ces, & idiotas, ac piscatores duntaxat missus, à Deo Patre & Christo, esset; longè tamen admirabilius est, eum missum esse & mitti quotidie in eos, qui participes fuerunt crucifixionis ac mortis Christi; aut qui inter barbaras gentes, idola adorauerunt, aliòsque maximos peccatores, si modò ad eum recipiendum, per ipsiusmet gratiam, se disponant. Quo in opere, & pater misericordiarum, & Filius diuinæ sapientiæ thesaurus; & Spiritus S. æternus amor, & tota denique Trinitas infinitam liberalitatis suę bonitatem declarauit. Dominus vineæ, ob filium suum extra vineam eiectum occisumque, communi calculo, *malos agricolas male perdidit.* Quid Deo Patri erat agendum, ob Filium suum extra Ierusalem eiectum atque in infami arbore suspensum, eiectumque etiam è vita? Nuncquid, sicut Elias quondam, ignem de cœlo deuocare debuisset, qui Christicidas momento deuoraret? Enimuerò ignem de cœlo misit, quando *linguis igneis* immistum misit S. Spiritum; sed ignem qualis olim rubum illustrauit, non cremauit, quique corda, non corpora, inflammaret. Sic, pro odio, amorem reposuit. Sic, *cum inimici essemus, dilexit mundum, ut Filium su-*

Matt. 21.
37.

Act. 2.

Iacob. 1.
17.

Ioan. 1.

Psal. 67.
19.Ephes. 4.
8.

um unigenitum, Verbum intellectus sui; & Spiritum S. voluntatis suæ Amorem, adeoque, quidquid ab ipso procedebat, daret. Sic, vindictæ loco, *omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Qui, si sic diligit Mundum inimicum, quid gratiæ amicis est facturus! Sed & illud nullis satis verbis potest explicari, Filium Dei, postquam *in propria venit, & sui eum non receperunt*, immò postquam tam dirè ab hominibus tractatus est, non modò inter ipsos cruciatus, dixisse: *Pater, dimitte illis*: sed etiam illos ipsos pro eis cruciatus ac mortem obtulisse; & rediuium, atq; in cœlestem gloriam ingressum, Spiritum S. qui à Patre Filiòque procedit, insuper misisse. Quade causa & Dauidi mirabilis visus est *ascendens in altum, & dans dona hominibus.* Socratem mirati sunt veteres, discipulos suos iubentem persolvere mercedem, ijs, à quibus læderentur; mirentur potiùs Christum, dona dantem, & quidem maxima, illis, à quibus sputis fædatus, flagris laceratus, spinis, clavis, lanceis confossus erat. Quid hoc aliud est, quàm evidentissimum infinitæ bonitatis argumentum? Filij hominum peregrè grauia passi, de malo lædentibus dando cogi-

cogitant, cum domum reuertuntur: Filius Dei, innumeris contumelijs, iniurijs, plagis affectus, ad astra *reuersus*, unde *venerat*, dona mortalibus est lagitus, qualia nemo, nisi Deus, dare potuisset. Nimirum vt arbores quædam sectæ vulneranti dant balsamū, sic bonus Deus adeò est bonus, vt bona reddat, à quibus mala accepit; quare per omnia Christi vulnera toti beneficiorum torrentes proruperunt. Quis talem Dominum non amaret? Sed & illud obstupescendū est, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam Spiritum sanctum, postquã secunda persona Dei Filius tam barbarè est ab hominibus acceptus, nihilominus ad homines descendere voluisse. Columba, cum non inueniret *extra arcam*, *vbi requiesceret pes eius*, ad arcam reuolauit: noluit enim, in eodem luto, cum coruo hære. S. Spiritus, columbæ forma & indutus & expressus, à Christo, secundo Noë, è cælo, missus, ah quæ non pectora inuenit, quàm, fordida? quàm scelerata? quàm in ipsum S. Spiritum blasphema? Et tamen neq; illa horruit. Quantos enim non adduxit, ad pœnitentiam, peccatores? quæ non exciuit flumina lachrymarum? Nimirum, vt, Noto flante, cadunt imbres, sic

flabit

Gen. 8. 2.

- Psal. 147.** *flabit Spiritus S. & fluent aquæ, ex oculis delicta sua detestantium. Hæc nimirum est abyssus diuinæ bonitatis, hæc totius Trinitatis immensa liberalitas, nullum ab hoc dono excludit, quantumuis fuerit nefarius; modò, per gratiam excitantem, pulsante S. Spiritu, se disponat, ad donum istud recipiendū. Quia non est personarum acceptor [Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, accipitque S. Spiritum. Qui per excellentiam appellatur, Donum Dei altissimi; est enim omnium donorum maximum, & eorum fons & origo, vt*
- Act. 10.** *D. Thomas tradit: est fluvius aquæ vitæ, splendidus tanquam crystallus, procedens de sede Dei & Agni, in medio plateæ eius, eam irrigans.*
- S. Th. 1. p. q. 38. Apoc. 22.** *De quo Christus dixit: Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam eternam:*
- Io. 4. 14.** *est lignū vitæ, afferens fructus 12. per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium: affert enim 12. fructus, Charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam, castitatem. Hæc omnia paratus est hostibus suis largiri cœlestis Pater, qui pluit super iustos & iniustos, dum modo velint*
- acce-

acceptare. Nam *qui pro nobis tradidit Filium suum*, quo modo non etiam, cum illo, omnia nobis donavit? Dixit olim iratus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* At passione Filij placandus dixit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Si locutus fuisset de sola carne Christi, quæ est diuinæ personæ vnita, nihil esset mirabile: sed nunc ait: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*, Spiritum adeò preciosum, in tam vilia vasa iræ: hæc bonitas exuperat omnem sensum.

Rom. 8.

32.

Gen. 6. 3.

Joel. 2. 28

C A P V T III.

Alijs novi Testamenti exemplis, ante oculos ponitur, mirabile iudicium Dei, quo ipse succurrit, quando alius nemo succurrit.

§. I.

Beatissimam Dei Matrem Angelus, apud Iosephum defendit.

EX supra explicata immensa Numinis misericordia & bonitate, satis potest superque intelligi, quasi morem Dei esse, vt, deficientibus vndique humanis auxilijs, auxilia faciat ipse diuina. Quod Christus, totâ vitâ suâ, demonstra-
uit.